

phenomeni: quod tempus exhibebit tibi gradum *Med. cæli*. Vnde quoq; innotescet vera latitudo, verusq; locus phenomeni in zodiaco. Exemplum huius doctrinæ habes in moderna stella, & capite sequenti. Poterit etiã, qui volet, consulere ss problema primi mobilis *Regiomontani*.

Quomodo verus locus nouæ stellæ in zodiaco
secundum longitudinem & latitudinem
inueniatur. Cap. II.



DEMONSTRATVM est cap. 5 hæc nouam stellam omnem prorsus excludere parallaxim. Locus igitur illius visus idẽ erit cum vero. Quomodo autem is inueniendus sit, tres hîc præscribemus modos: priores duo docebũt eundem inuenire ex alterutra stellæ meridiana altitudine, vera ipsius declinatione, & puncto mediationis cæli: tertius verò eundem inquireret ex illius ad vicinas sibi stellas distantia. Priorum modorum alterum perscripseram iam antè ad *Bartholemæum Reisacherum*, quem ille suo libello adiunxit, sed obiter ea à me tum effusa verius, quàm perscripta, fuerunt: ac demonstrata ex altitudine meridiana stellæ, non ea quidem exacta: sed quæ tum veritati quàm propinquissima, aliorum iudicio haberi potuit. Etsi autem à veritate haud ita multum aberret: tamen cùm ipse deinceps rem experiri cuperem, crebrò repetitis per quadrantem, magnitudine mediocri, considerationibus: accurata diligentia deprehendi altitu-